Pataszewski Casim. Stanisl. Nexus sceptrigeri ac emeriti honoris ad doctoralem lauream theologicam eminentior.

NEXUS
SCEPTRIGERI ac EMERITI
HONORIS,
Ad Doctoralem Lauream Theologicam
EMINENTIOR;

DUM

Magnificus, Perillustris & Admodùm Reverendus Dominus,

D. M. STANISLAUS MARKIEWICZ,

Sacræ Theologiæ Licenciatus, Ejusq; Cursûs Controversiarum Professor, Collega Major, Ecclesiarum Collegiatarum S. FLORIANI CANONICUS, Sandecensis CANCELLARIUS, Curcloviensis SCHOLASTICUS, SS. Omnium & Parochialis Prossovicensis PRÆPOSITUS, Scholarũ Novodvorscianarum & Contubernij Geloniani PROVISOR, Studij Generalis Almæ Universitatis Cracoviensis Vigilantissimus RECTOR,

A

PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. M. MARTINO WALESZYNSKI,

S. Th: DOCTORE & PROFESSORE, ejusdemq; Facultatis DECANO, Collega Majore, Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis CANONICO, Montis S. GEORGIJ in Scepusio & Przemykow PRÆPOSITO, Librorum per Diæcesim Crac: Ordinario CENSORE, Canonizationis B. JOANNIS CANTIJ PROCURATORE, Contubernij Hierosolymitani PROVISORE, Studij Generalis Almæ Universitatis Cracov: PROCANCELLARIO, SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOR,

Ritu Solenni crearetur;

Inter publicos Ordinum Academicorum plausus,

A

M. CASIMIRO STANISLAO PAŁASZOWSKI, Ph: Doctore, ejusdẽ Regio & Tylicano Eloquentiæ Professore, Collega Majore, S. ANNÆ Canonico.

officioso cultu

CELEBRATUS.

Anno, quo Fascijs Infantis DEI Hominis, salus Generi humano evoluta, 1729. die 22. Febru.

CRACOVIÆ, TYPIS ACADEMICIS.

NEXUS
Sceptrigeri ac Emeriti
HONORIS,
AD LAVREAM THEOLOGICAM
EMINENTIOR.

ADeſte juſtiores meritorũ Æſtimatores!
laborum virtutumq; Præmiatores adeſte!
omni temporis momento,
non mométaneũ ut virtuti emeritæ præmiũ debetur,
ita pretium ſingulis Univerſi decoribus,
ſed illis longè majus;
quæ aliquem ſui honoris, ſinuantur in nexum.
Virtus una, nulla virtus habetur.
Plato Divinus, Ariſteteles ſummus
unica ab erudita actione non aſſurgunt.
Pulchro pariter ligari geſtiũt fœdere Faſces,
eôq; multô,
ne ſuâ eminentiâ minuantur.
En Regalia ut emineant Sceptra,
gaudent ſuperaddita Coronâ.
Præſulum Infulæ ut ſublimiùs erigantur,
ſinè Pedo in publico non ſpectantur.

Du-

Ducum Bellatorum Clavæ,
à militum non sejunguntur catervis.
Clarissimus est mundi oculus Tytan,
sed non sinè radijs.
Amænam reddit Cynthia noctem,
sed non sinè coadunatis sideribus.
Est Adamanti pretium magnum, in auro majus.
Apelleum opus Imagines
eò pulchriùs ornant, quò plures colores.
Liceat superaddere
etiam unita fortior virtus.
Nisus multa & magna nisus cum Euryalo.
Heros magnanimus Hercules,
cum Theseo nihil intentatum reliquit,
Totum Cerberum numerosum captivum duxit,
qui solus
Antæi terrâ sulti fortitudine fatigatus,
contra duos
quidpiam non potuit audere, & valere.
Scyllurus Scytharum Dominus
in nodoso sagittarum Fasce,
probavit Natorum fortitudinem invictam,
quam separatim penitus improbavit.
Portentosis Gigantum viribûs,
Pelion impositus Ossæ ipsos exterruit Deos,
Sanè dantibus documenta rebus,
Evincit sibi præmia virtus,
sed maximè evincit,
propinquis ac fortibus nexibus asserta.
Pro suî eminentiori coronamento

Laurus & primas & virentes poſcit,
poſtquam noverit in unione meritorum triumphare.
Non immeritò
Magnifice, Perilluſtris
&
Admodùm Reverende Domine,
D. M. STANISLAE
MARKIEWICZ,
Sacræ Theologiæ LICENTIATE,
Vniverſitatis RECTOR
Vigilantiſſime,
hodie Theologica Laurea,
Tibi in decus & coronam cedit,
qui pulcherrimum nexum retines meritorum.
Antequam unita in Crucem Sceptra reciperes,
in Te multos coadunaſti labores,
merita nunquam à virtutibus diſſita ſociâſti.
Adjuncta fuit Tullio in cunis flamma,
ejus futurum irradiavit ſplendorem.
Laboris ingenioſæ magiſtræ apes,
infantis Pindari aſſociatæ ori,
dulcem ejus melleamq́; ſvadam prodiderunt.
Tuæ indoli Phæbô in ephebo dignæ,
feciſti ipſam adunari virtutem,
ſinè qua nunquam in ulteriori procedis vita.
Elementa literarum non commemoro,
quæ in Tuæ mentis alimenta vertiſti.
Stu-

Studia humaniora taceo,
quæ planè Divinô complectebaris animô.
Scrutabaris montis Parnaſſi intima,
ut aurum eruditionis Tibi erueres,
quô meritorum nexum exornares.
Amplo Tullij in Campo,
meſſis hæc erat Tibi præcipua,
nemini porrigere herbam, ut palmam haberes.
Sub Arbore Porphirij,
nunquam conſiſtens ad imum,
ipſum elevatô ingeniô ſublimabaris in verticem,
totusq; in Mercurium ibas.
Profundius Philoſophicum mare,
quàm non ab ipſo enavigaſti littore,
geminatæ Coronæ teſtes,
quæ non minùs de Te, quàm Tu de illis certabas.
Capaciſſimæ mēti Artes Liberales connexæ,
Te invenerunt Magiſtrum non fecerunt.
Philoſophiæ Doctorem
approbavit Pallas, non creavit.
Simul memoriâ, ſimul ingeniô felix,
tenes in Iliade totum,
quod vaſta Authorum volumina tenent.
In Te ſuô potitus Parnaſſô Virgilius,
quem adeò ſcitè enarras,
ut in manibus Tuis videatur hærere.
Lucet apud Te ſuperſtes Lucanus,
Tacitum vocalem reddis.
Antiquior orbis Hiſtoria apud Te recētiſſima
B à ſæ-

à ſæculis ſuccedaneis,
quò remotior, eò intimior Tibi.
Donum Superûm Scientia tota,
Sideris inſtar, ad ũbras Tuæ modeſtiæ poſtquã enituit,
non ſcivit loco affixa ſtare,
in aliorum commodum ſemper velociſſima.
Coloniam Pinczovienſem,
Doctiſſimus incoluiſti Profeſſor,
quam ut clara illuſtrâſſes eruditione,
non unum ei impendiſti annorum luſtrum.
Ad excellentẽ, in Grammaticis profectum,
ſufficiebat magni excellentia Magiſtri.
Omnibus Divina arridebat Pòëſis,
Te Diviniorem ſui Apollinem nacta.
Aganippei fontes
omnes ſvavi delectabant ſuſurro,
Tuô nectareô oloquiô permiſti,
Mentibus grata vincula, ſtylus ligatus,
neminem non alliciebat ſibi.
Nempe: ſub Iſocrate omnes feliciores Theopompi,
ſub Chirone Achilles, Ariſtoteles ſub Platone.
Gentilitia Xięſciorum Aſcia,
Scholaſtico pulvere expolita,
quòd ſplendidior in Tẽplo honoris erigatur,
Tuo terſiſſimo ingenio debet.
Marchionales Muſæ
ſciunt cui ſuum Paraſſum debent.
Illu-

Illustrissimus olim & Excellentissimus
JOSEPHUS
MARCHIO in MIROW
GONZAGA
MYSZKOWSKI.
Castellanus Sandomiriensis,
Athenas Capite ferens,
Athenæum Pinczoviæ voluit esse.
Accipitrem Gentilitium
non censuit meliùs in perennẽ volare famã,
quàm cum adjutorio Noctuæ Minervæ,
Æquum duxit accomodari Pegaso,
Soleam Cruci adjunctam,
ut immortalis gloriæ vestigia haberet.
Tanto Fundatori Mecænatiq;,
ut inchoatum ad gloriam placeret opus,
RECTOR Magnifice,
Professorali perficiebas labore.
Ille ærarij Musis impendit opes,
Tu præcellentis animi facultates.
Ecclesiæ Parochialis in Stradow,
Pastorem Te ultro destinavit,
Quem
vidit literis optimè attendentem.

Deinde Coloniæ Proviſorē,
tenerrimo proſequebatur affectu,
altiores meritis providebat honores,
ſi illos habere, non mereri voluiſſes.
In nexum laborū alios provocabas labores,
THOMAM DOCTOREM Angelicum,
Clypeum militantis Eccleſiæ,
ab Oratorio dum deduxiſti ſuggeſtu,
Te non ſinè Palladis Vmbone oſtendiſti,
Telîs omnibûs inconcuſſus,
quibûs aliquando ab adverſis
etiam innocentia oppugnatur, ſapientia impetitur.
Pro Sacris Exedris
ut felicior detonares Pericles,
Sacerrimum Myſtam induiſti.
Vineā Chriſti Arenæ Literariæ adjunxiſti,
in utraq; Operarius indefeſſus.
Ad Divorum Altaria
Flamen, DEI amore totus flammeus;
Ad Cathedras Academicas,
per continuos labores Profeſſor Clariſſimꝰ
Vocationi ad minus Collegium,
Reſpondiſti magnîs meritîs,
quæ in Majori Domo nunquam deſinis ampliare.
In Cathedra Tylicianæ Profeſſionis
integrô quinquenniô Orator,
æquè fæcundus ingeniô ac eloquiô facundus.
Tuâ roſeâ ſvadâ, mul-

multos Patriæ dedisti Hortensios,
qui ne aridiori sermone,
pro publico perorarent bono,
totum eis dicendi flumen effundebas.
Dispensando ex Cathedra alijs laureas,
mille Coronis Te ipsum dignum probasti.
Luci publicæ
quotquot doctas evulgasti Panegyres,
Phæbeam majestatem,
in omnibus induit Eloquentia.
Tibi meridies gloriæ accensus,
quoties pro splendore Illustrissimarum Cerarum,
eruditæ mentis lumen intendisti.
In Pastophorio
quo magna maximisq; paria
ILLVSTRISSIMI
&
Excellentissimi Domini, Domini
CHRISTOPHORI
ANTONII
In Słupow
SZEMBEK,
DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ,
EPISCOPI protunc POSNANIENSIS,
Abbatis Claræ Tumbæ,
conclusisti, elogia Tua patefecisti.
In Ocello Eruditorum Capitum,
quô spectantissima

C Per-

Perilluſtris & Reverendiſſimi Domini
D. GVILHELMI
ROBERTSON,
Canonici Gneſnenſis, &c.
exhibuiſti merita,
Te medullam animi elegantis probaſti.
Fuit eò felicior
pro Doctoratu in Sacra Theologia,
Perilluſtris olim
M. GABRIELIS PROFECKI,
Inauguratio ſecunda,
quam Tuo, hoc eſt cultiſſimo elegiô donaſti.
Tota ſors non cecidit in urnam
Perilluſtris olim M. MATHIÆ BROCKI,
eùm dignum laude Virum MuſaTua prohibuiſti mori.
In alijs Scriptorum operibus,
non alius legitur ſtylus,
niſi vel aureus, vel aurô dignus,
quo legentium animus ditatur,
in Tuiq; æſtimationem ducitur perennem.
Scribere & loqui
rarò ſimul alijs hic conceditur nexus,
Tibi proprius ad eminentiam.
Principaliores Craciæ Baſilicas,
quoties culto impleviſti, âut imples ſermone,
Divorum pulvinaria exornas.
Coram Capitibus
Inſulatis, aut Inſulâ dignis Eccleſiaſtes,
quæ

quæ rotundo pronuntias ore,
omnium ſenſum, in Tuum ducis pondere verborum
In Comitijs Regni Generalibus,
bis ab Vniverſitate Legatus,
Regibus, pro Regijs Muſis,
Proceribus Regni, pro Regni Schola
facnndior peroraſti Mercurius.

Principe ſvada

Quia Principibus placuiſti Viris,
ſinè obtento in deſiderijs fine non fuiſti.
Vno in Academico labore,
plura humerô infractô onera ſupportas
fortior Atlante.
Illi unus ſuffecit Olympus,
Tibi multiplicatæ functiones non ſufficere videntur.
Singulis ex aſſe reſpondes,
omnes exporrecta ſuſcipis fronte,
inNexum meritorum admittis & adimples.
Philoſophici honoris & oneris Inſigne
Purpuram Decanalem
fortibus lacertis geſtas,
quæ plerumq; alijs Sangvineo ſudore tincta, incutit ruborem;
Tu nunquam erubeſcere viſus,
Doctiſſimus Artiſtarum Princeps, Rex animô ſemper,
utpote & Regius Profeſſor.
Vt Diſputantium Claſſes,
nunquam non optatum appellerent portũ,
lucidior eis præfulgebas Cynoſura.
Circuli Philoſophantium ne vitioſi eſſent,

punctum eis Tua eruditio fuit.
Vniversitatis Generalis Procurator,
novisti eò intendere curas,
Unde res Academicæ assurgebat, ut feliciùs starent.
Pias fundationes in suum erigebas fundamentum,
nec eas aliò spectare voluisti,
nisi quò mens Mecænatum jussit.
Multis negotijs ac oneribus impulsus,
ivisti aliquando extra Cracoviam.
Vt sustentares Professorum labores,
Tuo commodo non parcebas,
sed tamen semper fixus eras, in Cathedra Professor.
Gnarus optimè
id in statione Academica valere,
non quod Procuratoris, sed quod est Professoris.
Vtinam alijs in exemplum fuisses,
ne in apparenti titulorum cerussa,
lateat strictioris obligationis detrimentũ.
Vtiq; & sidera quanquã habẽt Eccentricos,
suam tamen nunquam deserunt sphæram.
Altiùs Tecum RECTOR MAGNIFICE,
Rhetorica Gradatio procedit,
sed nunquam solutô stylô, ita currere potest,
ut Tu promptissima activitate in nexũ merita cõponis.
Theologicam conscendis Cathedram,
multorum laborum gradibus innixus.
Mentis irretortam pupillam
Thomistico intendis Phæbo,
eumq; in Tuum deducis pectus.

Hoc

Hoc Sacerrimo Tytane,
præfulges Tibi in Sacris Dogmatibus,
habetq; in Te ſuum lumen Sapientia,
quæ ſe ipſam miratur,
quòd tota unô Tuô ingeniô coruſcat.
Sub lumine Fidei revelato
obſcuritas arcanorum omnî evidentiâ
ut eſſet clarior, facis.
Repetitô temporis bienniô,
Sacramentalem Curſum deducebas ad metam,
& quòd fuerit non ſinè triumpho,
publica eundem Diſputatione coronâſti.
In Controverſiarum Curſu,
agis Stadiodromum indefeſſum.
Quot doctiſſima Argumenta moves,
tot telis hoſtes Fidei impetis.
Statuis Concluſiones, evertis errores.
Proponis Quæſtiones, Caſtra fortiſſima metaris;
quibus ipſe triumphatur Avernus.
Sceptrorum Rectoralium in Crucē Nexus,
hoc ipſo non unicum onus,
Ne non ſecundè feratur,
Primos Orbis Literarij expoſcit Atlantes,
Centimanos, aut pares Centimanis requirit.
Mereri honores contentus, non habere,
Sceptriferam evitabas Crucem,
quam tamen
Cōcordātib9 Ordinū Academicorū votis,
ut Tuorum meritorum Nexus eminentior eſſet,
etiam invitus acceptare debebas.

Apud Ægyptios,(detur Annalibus fides)
Sceptris oculi non deesse solebant.
Regijs Academicis Sceptris
aut totus oculus es, aut Centoculus Argus,
Imò ipsô vigilantior Argô.
Noctes etiã insomnes ducis pro commodo Literarũ.
Scis doctis placere ingenijs,
quia nôsti perbelle ingeniorum artem.
Priùs in Te efformas animorum characteres,
ut eorum ingenia legas.
Ne Te lateant scrutaris,
Excurris ultra, si sua vastitate pateant,
Ascendis supra, si subtilitate emineant.
Penetras omniũ quævis ingenia, dũ aspicis,
Examinas, dum alloqueris,
ponderas & noscis quid valeant, dum audis,
Animorum & Ingeniorum RECTOR.
Jovem Sceptriferum agis,
sed non trisulcum Tonantem.
Vel si Tonans es, hæc fulmina jacis,
quibûs odia à Pallade avertis,
ut in amorem ejus impellantur.
Explorantur ad lancem judicij Tui negotia,
feliciter bono cummuni cedunt,
Tuo illis voto accedente.
Scholarũ Novodvorscianarũ
simulq; Contubernij Geloniani PROVISOR,
quas sollicitas non adhibes curas?

ne cara Pignora Patriæ, mentes studiosæ,
suo in literis destituantur profectu.
Cedunt in censum Tuæ gloriæ,
quos processu juris vindicas census.
Non enim minor gloria est parta tueri,
quàm quærere nova.
Amænas spiras gratiarum Ethesias,
ut flos Iuventutis Academicæ
sterilem sibi literariam non agnoscens Arenam,
maturos, eosq; scientificos explicetur in fructus.
Sacro Apollini consecras Tua beneficia,
nec minus in Sacratiores consecras ÆDES.
Basilica Prossovicensis,
quæ circa publicos Comitiorũ Congressus
liberis personat Nobilitatis vocibus,
Tuo ære liberaliori magis redditur sonora.
Ferme accepisti lateritiam,
prope marmoream fieri curas.
Edaci temporis dente corrosos parietes murales
solidiori firmasti muro.
Intus & extra splendidiorem providisti nitorem,
qui vetusta carie obrutus,
totus vastis condebatur in rimis.
Pro Cancellariatu Sandecensi,
egisti satis liberaliter, ne Successor egeret.
Coëmptus Fundus
in sua quam feret Cerere
liberalitati Tuæ,
ad messẽ gratitudinis Succedaneos obligabit.

Hoc profectò unicum,
liberale est serere beneficia,
ut possis metere fructum.
Ecclesiæ Collegiatæ SS. OO.
Cracoviensis Præpositura
ultro se Tuas inclinavit in manus,
ut assurgeret,
meliori statui à STANISLAO reddenda.
Longior Tuorum meritorum series,
pleniori vix capienda volumine,
hanc sponte eligit latere paginam,
ne aut Tua lædatur modestia,
aut non pro Dignitate elogia celebrentur.
Mavis laudanda agere, quàm laudari.
Tuis factis, verba non suppetunt Oratoria,
In Superos
est celerior Tua pietas,
quàm potest esse ingenium velox.
Ad digna Cedrô agendum,
est Tua promptior manus,
quàm calamus ad scribendum.
Tua longè amplior gloria,
quàm Schinotenes protendi queunt.
Concatenatus meritorum Nexus
longè suo apparatu pulchrior,
quàm

quàm ſtyli poteſt fieri ornatus.
Quid dicendum?
cùm ad Doctoralem Lauream,
magno ſuo comitatu aſsurgat eminentior.

Sacra Laurea Theologica,

in Orbe Palladio quid nobilius?
convoluta ſua rotunditate,
bene æternitati reſpondet,
cùm ad DEVM referatur æternum.

De DEO Vno

agere Theologiæ eſt,
Laurea Theologica unica eſt,
quæ cunctos excedit Honores.

DEVM TRINVM

explicat & docet Theologia,
Laureâ Theologicâ quid perfectius?
cùm in tantum Trinum deſinat perfectum.
Nectuntur Laurus,
in Vmbroſo Acedemi luco,
nequeunt ſinè umbris manere;
Laurea Theologica quid clarius?

Solem Juſtitiæ,

in ſuo circulo pro puncto habet.
Sunt quidem vireſcentes laurus,

cùm etiam ſint neſciæ fulmine tangi.
Laureâ Theologicâ quid viridius?
Florem Campi
ſibi internectere novit.
Ad hanc Lauream
Magnifice Domine Rector,
Sceptrorũ Rectoraliũ Faſces
ac Tuorum meritorum Nexus eminentior,
Vtriusq; Honor hac eminentia dignus.
Tantæ fortunæ ipſe Faber.
Faſcibus Sceptriferis
meritorum Nexum conformaſti.
Pro Laurea Theologica
decenniô totô laboraſti.
Quot Annorum revolutiones peregiſti,
tot dignus
triumphales habere currus,
quibûs adCapitolium Honoris proveharis,
Inſunt decem Circuli Cælis,
tot Annorum decurrebas circulos,
ut hâc redimireris laureâ,
Cujus centrum Cælum ſydereum.
Expeditiùs florida nectantur ſerta,
Quia ſubitò nihil perfectum,
ſeriùs fieri debuit Laurea Theologica,
ut

ut Tua merita coronaret perfecta.
Levis Cymba
tenet citiùs portum, non item Oneraria.
Cassæ segetes assurgunt,
non pleni Cerere culmi.
Gemmæ ut nitido nascantur in Erytro,
debet ipsum largiùs sudare Cælum.
Operosum est, quidquid excellit.
Cuditur longô temporis spatiô,
quidquid Æternitati consecratur.
Plausu insuper excipitur majori,
quod
longiori expectatione sperabatur.
Capitolium Triumphorum Sedes
Solenniùs eas excipit Victorias,
longiori perrennaturas ævo;
quæ non unô parabantur Gradivô.
Laurea Theologica
Quò minùs festinè,
eò magis festivè, in tempora Tua sinuátur.
Plausuum sibi primum mobile est,
Sed & Orbes Academicos,
sinè plausu mobili non sinit esse.
Quà RECTORI plaudit Vniversitas,
Quà DOCTORI Facultatum Doctores.

Ad Sceptra
omnium collimant plauſus.
Votorum interpretem ago,
Annos in Pylios
longævæ protendantur ſtamina vitæ.
Meritis ac concatenatis laboribus,
primi ſemper interſint Honorum Faſces.
Nunc eminentior,
ad Doctoralem Lauream Theologicam,
Honoris Sceptrigeri ac Emeriti Nexus,
in Eccleſia DEI,
Orbeq́; Academico,
magnis cumuletur decoribus,
Succeſſibus augeatur.